SENTENTIA

INTER

RIPÆ CIVES, ET INCOLAS

IN CAUSA TRIBUTI,

QUOD DAERAM VOCANT.



TRIDENTI)(MDCCXCII.

Typis Joannis Baptiſtæ Monauni Typogr. Epiſcop.

SUPERIORUM PERMISSU.

AD oram Benaci lacus amænitate, piſciumque varietate, & copia nobiliſſimi, cujus Plinius (*a*) aliique veteres Scriptores meminerunt, Ripa Civitas jacet cum Portu, & Arce, agrum habens vineis, atque olivis fœcundum, locique natura vicinarum Vallium, & Alpium commercio aptiſſima. Cum Conradus II. Imperator anno 1027. univerſum Comitatum Tridentinum Udalrico II. Epiſcopo dono dederit, prout eum Comites, Marchiones, & Duces antea tenuerant, Ripa quoque Oppidum in ipſius Epiſcopi poteſtatem venit, quippe quod Rheticis, aut Tridentinis Alpibus incluſum ejusdem Comitatus partem fuiſſe nemo ambigit. Id quoque acta proxime ſubſecuta teſtantur; nam Altemanus Epiſcopus Tridentinus anno 1144. de finibus Montis Brionii inter Ripenſes, & Arcenſes ſententiam dixit uti eorum communis dominus, & anno 1155. Ripenſes Epiſcopo Tridentino tamquam Principi ſuo fidelitatem ſolemniter polliciti ſunt, ut fidem perhibent authentica, quæ adhuc extant, documenta.

Paruit Ripa Tridentino, donec Joannes III. Epiſcopus natione Etruſcus eam pignori dedit Maſtino II. Scaligero Veronæ dominanti quatuor millibus florenorum auri ab eo mutuo acceptis, quibus indigebat *propter gravem rebellionem quorundam Nobilium & Magnatum ſuorum*, uti dicitur in documento diei 29. Novembris anni 1349.

Ripam tenuere Scaligeri uſque ad annum 1388. quo Mediolanenſium Dux Joannes Galeatius Viſconti eos non modo Ripa, ſed & Verona ejecit, omniaque, quæ eorum ditionis erant, occupavit jure belli.

Ripa igitur in Mediolanenſis poteſtatem tranſiit, ſed eodem ſemper pignoris jure, quo eam obtinuere Scaligeri; quum jure belli non alia in victorem jura, quam quæ victus habebat, tranſire poſſint.

Defun-

(a) *Lib.* 9. *Cap.* 21. & 22.

Defuncto Joanne Galeatio, atque ejus filiis a magna paterni Regni parte pulsis, Tridentinus Episcopus anno 1405. Ripam, pristinamque in ea dominationem suam recuperavit.

Evenit autem postea, ut Fridericus Austriæ Dux universam Tridentinam Ditionem, & cum ea Ripam quoque armis occupaverit. Is pulso Episcopo per aliquot annos Regionem omnem tenuit, Principis in ea sibi jura tribuens, donec solemnibus Concilii Æcumenici Constantiensis Decretis, & Imperatoris mandatis ab occupata Ditione abscedere jussus, & omnia tandem Episcopo restituere coactus est. Ripa igitur iterum in Tridentini potestatem rediit.

Per hæc tempora Joanne Philippo Maria Visconti paternam hæreditatem recuperare conante, atque hinc exorto primo bello Insubrico, in quo Tridentinus Mediolanensi favebat, Ripa sæpius a bellantibus Partibus capta, receptaque fuit, donec tandem expugnata a Mediolanensium Duce Tridentino Episcopo restituta est: quæ restitutio deinde tum ab eodem Mediolanensi Duce, cum a Venetis rata habita, approbataque fuit in Pace composita 8. Decembris 1427., atque iterum postea in Pace Ferrariensi 19. Aprilis anni 1428.

Tridentini Episcopi Ripam tenuere usque ad annum 1441., quo finem habuit tertium Bellum Insubricum; nam in Pace Cremonensi diei 20. Novembris 1441. scriptum fuit, ut Ripam, quam armis paulo prius occupaverant, obtinerent Veneti. Tridentinus neque eo bello implicitus fuerat, neque ejus Pacis legibus unquam postea consensit. Ripa tamen in Venetorum potestate mansit per septuaginta ferme annorum spatium.

Expectante semper Tridentino Principe apertam iri viam recuperandæ Civitatis, eaque frustra tentata bello Rhetico inter Venetos, & Tyrolensem Comitem inchoato anno 1507., tempus tandem venit occasione celebris Cameracensis fœderis inter Maximilianum I. Imperatorem, Galliarum Regem, aliosque plures Europæ Principes adversus Venetos icto; postquam enim Fœderati Venetorum ditiones invaserant, Ripa anno 1508. in potestatem Tridentini rediit, qui Fœderatorum partes sequebatur, eodem belli jure, quo fuerat amissa, sive jure reversionis, ac postliminii, atque ab eodem in deditionem accepta est. In Pace postea inita Bruxellis die 6. Decembris 1516., & 9. Jannuarii 1517. Ripæ libere cesserunt Veneti, quam

demum

demum Carolus V. Imperator Cardinali Bernardo Clesio Episcopo Tridentino tradidit, ac restituit perpetuo, tanquam vero, antiquo, ac solo ejus domino, uti constat ex solemni Diplomate dato Wormatiæ die 3. Maii 1521.

Hæc summatim ex vetere historia sumpta ante omnia enarrare necessarium duximus, ut quæ causa sit, cur in hodierna lite Ripenses Cives tot diversorum Principum, qui Ripæ imperium habuerunt, privilegia in medium afferant, intelligatur, quorum quidem privilegiorum mox sermo a nobis habendus est.

§. I.

Civitas hæc suas habet leges municipales, quæ ei a Principe datæ, vel confirmatæ sunt, ad municipii regimen, administrationemque spectantes, suos quot annis eligit Rectores, atque Consilium municipale, sua denique habet bona, ac redditus, ex quibus sumptus in municipio identidem necessarii sustinentur. Horum redditLum pars est Incolarum tributum, de quo infra plura differemus; constat enim Ripa, ut & alia quævis Civitas ex Civibus, seu Municipibus proprie dictis, & Incolis; Cives autem, qui municipalis cœtus membra ac jurium, & beneficiorum civilium participes fiunt, pauci admodum sunt; sunt enim numero haud plures quam sexaginta circiter. Reliqui vero non nisi incolæ sunt, & a juribus, honoribusque civilibus exclusi, quamquam numerum decies majorem, quàm ipsi cives constituant; quum incolarum sexcentæ prope familiæ sint. Hi partim intra urbis mænia degunt, opificia, mercaturam, artesque utiles exercentes, partim vicinos agros incolunt eorum cultui operam dantes. Gravissimum autem quot annis tributum Civibus pendere coguntur, quod *Daeriam* vocant; nam pro modo prædiorum, quæ possident, sive ea urbana sint, sive rustica, duo cum dimidio in singula millia eorundem æstimationis annuatim ab eis exigunt Cives, & jam inde ab antiquis temporibus exigere consueverunt, ipsorum Civium bonis ab hoc tributo immunibus.

§. II.

§. II.

Hoc quum essent tam magno onere gravati Incolæ, fuerunt nullo nōn tempore aliqui, qui ægro illud ferentes animo solutionem interdum recusarent, sed irrito semper conatu, vel quod modo unus tantum sine ullis sociis, modo admodum pauci adierint judicem, vel quod non causam viriliter defenderint, neque ad finem usque prosecuti sint; nunquam enim factum fuit, ut incolæ cuncti, vel saltem magna eorum pars vires conjungerent, & simul omnes judicium rite agerent: quod ita accidisse mirum non est, quippe quod alii, tenuioris quum essent fortunæ homines, potentiam civium locupletiorum metuerent, eorumque minis, ac jactationibus perterrerentur, id jus veteribus suis privilegiis concessum sibi esse ajentium, ac palam prædicantium, alii autem, iique quam plurimi quod crederent, uti credi oportebat, tributum, quod penderent, & temporibus rei publicæ necessarium esse, & æqualiter inter cives, & incolas distributum esse.

§. III.

Evenit tandem, ut anno 1731., quum nonnulli ex Incolis prospera usi fortuna non parum opibus aucti essent, animos cœteris adderent, certioresque facti, solos se eo tributo gravatos esse, immunibus civibus, neque jactatis privilegiis fidem amplius habentes adeo acerbum onus non diutius ferendum putarent. Quare Incolæ omnes in societatem, ac fœdus coeuntes uno consensu procuratoribus ad id constitutis litem adversus Cives instituunt, ab eisque petunt, ut monumenta, ac causas, quibus innixi hujus exigendi tributi jus sibi tribuunt, ostendant, ac palam faciant. Cives ad judicium vocati primum antiquam suam possessionem allegare, seque ante omnia in ea conservari oportere: deinde documenta quoque vetera, & tum privilegia, cum res judicatas, quibus jus suum suffultum esse crederent, in medium afferunt, sed ad colorandam tantum, ut ajunt, possessionem. Postquam autem lata fuit a Consilio Aulico Tridentino sententia, qua Cives interim lite pendente in possessione sua con-

ser-

ſervandos eſſe pronunciatum fuit, uſquequo plenius de poſſeſſionis juſtitia in petitorio judicio cognoſceretur, de hoc ipſo agi, & diſputari cœptum eſt. Acriter & diu multumque, magnaque animorum contentione diſceptatum eſt, cauſam pro Incolis orante Joanne Franciſco Barbacovi Avo meo Jureconſulto celebris ea ætate nominis. Allegationem is edidit, quæ adhuc extat, jam eo tempore typis cuſam, eamque quadripartitam, ſive in quatuor capita diſtributam, qua ſingulatim, ac per partes documenta omnia, quibus innituntur Cives, jusque, quod ii ſibi ſumunt, tributi, de quo agitur, exigendi evertere, ac profligare conatus eſt.

§ IV.

Et in prima quidem parte privilegia, quæ a Civibus allata ſunt, expendit, & ad examen revocat. Antequam autem de eis verba faciat, ait Incolas juſto, & tam longo dolore excitatos Principem uti communem Patrem implorare adverſus vim, & injuriam Civium, qui jure omni, ac juſtitia contempta tributum ab omnibus Incolarum bonis duorum cum dimidio pro ſingulis millibus exigunt, ipſorum civium bonis a quacumque præſtatione immunibus: quo nihil iniquius eſſe poſſit; cum nihil magis humanæ ſocietati conveniat, quam quod inter homines in eadem civitate viventes ſervetur æqualitas. Allatis porro Legibus, ac Doctorum ſuffragiis oſtendit, tributi, aut collectæ, uti vocant, indicendæ poteſtatem ſolius Principis eſſe, & ipſum quoque Principem non niſi urgente publica neceſſitate eo jure uti poſſe, tantumque ſolum ei exigendi jus eſſe, quantum reipublicæ defenſio, ac cuſtodia requirat, univerſitatibus autem, aut municipiis nec jus, nec poteſtatem eſſe ullius indicendæ collectæ niſi Principis accedente conſenſu, & auctoritate non obſtante quacumque contraria conſuetudine: præter autem Principis conſenſum id inſuper requiri, ſive de ordinaria, ſive de extraordinaria collecta res ſit, ut ea neceſſaria ſit ad ſumptus municipii tolerandos; ſine enim neceſſitate tributa, aut collectas a Municipiis imponi periniquum eſſe; quum id neque ſummis ipſis Imperantibus liceat: cum vero urgente neceſſitate indicenda collecta ſit, eam indici oportere æqualiter civibus pariter atque incolis pro modo cujusque facultatum, & patrimonii, ſine ullo perſonarum diſcrimine, quemadmodum

& Le-

& Leges præcipiunt, & Jureconsulti docent uno ore omnes (*a*): quare nihil pravius esse posse, quam quod in Civitate Ripæ fieri solet, ubi incolæ non modo sine necessitate, aut ultra necessitatis modum æquali semper, eodemque annuatim tributo gravantur, verum etiam ii soli gravantur, cives autem, aut municipes omnino relinquuntur immunes; quod juri ipsi naturali adversatur: hujusmodi autem jus aut potestatem nullo Principis privilegio acquiri posse, etiamsi expressim datum esset; neque enim posse Principem quemquam oneribus eximere, ut cœteri durius premantur, neque privilegia in aliorum innocentium injuriam concedere (*b*).

§. V.

His positis transit ad ea excutienda Privilegia, quæ Municipes in medium attulerunt. Primum autem est illud Joannis III. Episcopi Tridentini diei penultimæ mensis Aprilis anni 1349. cujus hæc sunt verba, quod *Terræ, vineæ, domus, & possessiones sitæ in Plebatu Ripæ, quæ fuerint quocumque titulo acquisitæ a quibuscumque Personis non habitantibus in Terra Ripæ, nec cum ipsa, & ipsius Communitate onera, & functiones publicas sustinentibus æstimari debeant, & possessores, & detentores, ubi velint habitantes, debeant cum hominibus, & Communitate prædicta onera, & functiones publicas sustinere, & solvere angarias, & perengarias, quæ prædicti homines, & Communitas pro utilitate, & statu prædictæ Terræ, seu aliàs prout crediderint, & expedire duxerint pro libitu voluntatis imponenda, & ordinanda*. Hoc privilegium a Joanne Episcopo concessum fuit Ripensibus non plus quam septem mensibus antequam Ripæ ditionem jure pignoris Scaligero traderet. Munera extraordinaria, quæ personis rerum contempla-

---

(a) *Klock. de contrib. cap. 17. Balmased. de collect. quæst. 17. Card. de Luca de regal. disc. 83. n. 10.*

(b) *L. 19. C. de Decurion. Zahn. Polit. Municip. Lib. 3. cap. 18. n. 3. Ant. Faber. in Cod. lib. 4. tit. 29. defin. 1. Klock. de contrib. cap. 16. Sect. 1. n. 96. seqq.*

platione indicuntur, de quibus paulo poft fermo habebitur, Municipibus tantum, & Incolis imperari poffunt; quod fi tamen confuetudine receptum, aut privilegio conceffum fit, ut etiam extraneis ob res, quas in territorio fitas poffident, injungi queant, valere privilegium, aut confuetudinem, in jure fcriptum eft (*a*). Quamobrem merito Ripenfes cives, ut hoc jure potirentur, id a Principe impetrarunt: verba autem *prout crediderint, & expedire duxerint pro libitu voluntatis imponenda, & ordinanda* non ita a Civibus intelligenda erant, ut fibi liceret tributa, aut penfitationes injungere nulla etiam publica utilitate, aut neceffitate expofcente, pro fuo tantum arbitrio ac lubitu; ea fiquidem facultas intra juris terminos reftringi debet, & quod de arbitrio dictum eft, intelligi oportere de arbitrio boni viri, quod a juris regulis non recedat, neque extra eas unquam egredi fas effe, non modo Jureconfulti omnes docent, fed fola quoque ratione duce intelligimus. Neque enim quispiam dixerit, eum, qui privilegio donatus eft, majore jure uti poffe, quam is, qui privilegium dedit: ficuti igitur Princeps ipfe jus non habet imperandi tributa, aut vectigalia nifi quæ reipublicæ utilitas, aut neceffitas poftulet, multo minus Municipio id jus, aut ea poteftas erit. Sed quid quid de hac re fit, quod attinet ad privilegium Joannis Epifcopi, de quo nunc agimus, duo obfervanda funt: primum poteftatem in eo concedi tributa imperandi iis tantum perfonis; quæ Ripæ, aut in ejus agro bona poffident, *ibique non habitant*. Hoc igitur privilegium non Incolas tangit, neque eos refpicit; incolæ enim funt, non extranei, qui in aliquem locum domicilium fuum conftituunt, ut perpetuo ibi manere velint. Secundo obfervandum eft, quod etiamfi privilegium, de quo quærimus, Incolas refpiceret, ac de eis nominatim loqueretur, attamen expreffim eo cavetur, bonorum poffeffores *onera, & functiones publicas fuftinere, & folvere debere cum hominibus, & Communitate Ripæ*, proindeque æqualiter una cum Civibus, & æquo jure, nullo inter eos difcrimine. Dum ergo Cives grave annuatim tributum ab Incolis exigendi jus

B fibi

(a) *L.* 18. §. 25. *D. de muner., & honor. Andreas Gaill. Lib.* 2. *Obferv.* 52. *n.* 17. *feq.*

sibi sumunt, sua autem bona immunia esse volunt, id agunt, quod non modo juri omni, ac justitiæ repugnat, verum etiam quod eidem ipsi privilegio, quod afferunt, directo adversatur. Sequitur aliud privilegium Scaligerorum Fratrum Bartholamæi, & Antonii, tum illud Joannis Galeatii Visconti Mediolanensium Ducis diei 9. Octobris anni 1389. sed utriusque eadem plane verba sunt ac ea Joannis Tridentini Episcopi superius allata. Quarto loco affertur privilegium diei ultimæ Maii 1416. concessum a Friderico Austriæ Duce, qui per ea tempora Ripam, totamque Tridentinam Ditionem, uti diximus, armis tenebat, quod sic loquitur: *ut Terrarum, Vinearum, & domorum possessores ubi cumque habitantes teneantur sustinere cum Hominibus & Communitate Rivæ angarias, perengarias, cæterasque publicas functiones, quæ per homines Rivæ indicentur.* Eadem ergo hic quoque repetenda sunt, quæ de aliis tribus privilegiis superius dicta sunt; nam hoc quoque expresse loquitur de oneribus, & functionibus subeundis *cum hominibus, & Communitate Rivæ*, proindeque nullo inter cives, aut non cives discrimine. Quintum privilegium est Alexandri Episcopi Tridentini diei 15. Octobris 1426. quo nihil concessum, præter quamquod privilegium Episcopi Joannis anni 1349. supra memoratum approbatum, ratumque habitum fuit. Sextum est Pasqualis Maripetri Venetorum Ducis diei 21. Novembris 1458. Sed & hoc non aliud conceditur Ripensibus, quam quod compellere possint finitimos Thenni homines, aliosque exteros bona in Ripensi agro possidentes, *solvere portionem suam daciæ, & aliarum expensarum communiter occurrentium.* Non ergo de Incolis agit hoc quoque privilegium, sed tantum de exteris, qui bona Ripæ possidebant, ut cœtera quoque privilegia priora. Præterea dum loquitur *de portione sua Daciæ*, hoc ipso satis ostendit, cives pariter portionem suam tunc temporis exsolvisse; cum portio sine alia portione esse nequeat: ex quo intelligimus, cives una cum aliis prædiorum possessoribus communia onera tunc subiisse, quemadmodum jus, & ratio postulant. Affertur tandem postremo loco Privilegium Georgii Episcopi Tridentini diei 27. Maii 1509., qui dum Ripenses in deditionem accepit, pristinamque dominationem, abeuntibus Venetis, recuperavit, antiqua eorum privilegia rata habuit. Petentibus autem civibus, ut cogi non possent *ad aliquas angarias, aut perengarias reales, aut personales*, non aliud eis a Principe rescri-

rescriptum est, quam in hæc verba: *Fiat ipsis Civibus, quantum videbitur in ipsis privilegiis.* Quum autem in prioribus privilegiis nihil usquam dictum sit, quod soli incolæ, immunibus civibus, gravari debeant, sed imo aperte in eis scriptum sit, ut cives non minus ac cœteri prædiorum possessores sumptus ferre publicos debeant, satis patet, in hoc Episcopi Georgii Privilegio nullum plane jus novum eis datum fuisse.

§. VI.

Demonstrato itaque, Principum privilegia nihil ad rem de qua agitur momenti habere, Scribens pro Incolis transit ad expendendas Sententias, ac res judicatas, quibus quoque innixi Ripenses Cives jus, de quo disceptamus, sibi vindicant: & primo quidem sententiam quamdam Cardinalis Bernardi Clesii Tridentini Episcopi diei 7. Septembris 1537., qua pronunciatum, Ripæ cives *esse in possessione exigendi Daeriam* a cunctis prædiorum possessoribus. Sed probe animadversum, hujusmodi sententiam latam fuisse contra finitimos Populos Thenenses, ac Judicarienses, contra eos scilicet, qui ex eis Populis prædia in agro Ripensi possidebant. Non erga illa Ripæ incolas, atque habitatores quicquam tangit, præsertim quod in ea lite aut contentione, quam Ripenses unice contra Thenenses, ac Judicarienses agebant, incolæ Ripæ neque citati, neque vocati unquam fuerint, & ei nunquam interfuerint; quamobrem res inter alios acta sicuti eis non prodesse, ita nec nocere potest. Allegant quoque Statutum Ripæ Lib. 1. Cap. 3. quo cautum, ut *Dominus Potestas unamquamque personam ad solutionem Daeriæ compellere debeat.* Verum huic Statuto parere Incolæ minime abnuunt, & Prætorem debere ad solutionem Daeriæ Personas omnes compellere nullo discrimine, eas scilicet, quæ juxta leges eam solvere tenentur, nemo negat; neque enim Statutum dicit, solos incolas solvere cogendos esse, immunibus civibus. Quare Prætor tunc demum muneri suo satisfaciet, & Statuto rite parebit, cum cives, pariter ac incolas æqualiter omnes solvere coget. Quod attinet ad alias sententias, quæ in medium allatæ sunt, quibusque pronunciatum est, Ripæ cives *fuisse & esse in possessione collectandi* bona stabilia Forensium, & Habitantium in Terra Ripæ, ipsosque cives in possessione esse

im

immunitatis quoad propria bona, idque eos & in futurum posse facere, recte responsum est, primo eas omnes sententias undique falsæ opinioni, & persuasioni esse innixas, dum Judices putant, atque expressim ponunt, Ripensibus Civibus id jus Principum privilegiis datum esse: quum autem Principum privilegiis ejusmodi jus datum nunquam fuerit, & si datum fuisset, nullas plane vires haberet, consequens est, sententias ex falsa causa, & ex manifesto juris, & facti errore profectas nullius omnino esse momenti, neque unquam vim rei judicatæ eas esse nactas, uti communis est Juris consultorum sententia (*a*); corruente enim fundamento id quoque omne, quod super eo ædificatum est, corruere necesse est. Secundo demonstratum fuit, eas omnes sententias in possessorio tantum judicio esse latas, de possessionis autem ipsius justitia in petitorio, ut ajunt, judicio nihil unquam cognitum, ac pronunciatum fuisse. Tertio etiamsi eædem sententiæ in ipso petitorio judicio pronunciatæ essent, quum adversus unum tantum, alterumve ex incolis, qui soli judicium susceperunt, non vocatis, neque intervenientibus aliis, latæ fuerint, idcirco sententiæ contra singulares tantum personas latæ minime alios afficiant, qui judicio non interfuerunt; quod enim illi ab injustis sententiis appellare neglexerint, vel non, ut oportebat, causam defenderint, id ipsis solum non aliis nocere debere; sententiam enim inter alios latam aliis neque nocere, neque prodesse: quare sententias, quæ in medium afferuntur, iis tantum obesse, adversus quos latæ sunt, aut ab eis causam habentibus, cœteris autem incolis non obesse.

§. VII.

(a) *Vantius de nullit. tit. ex defect. proc. N.* 127.
Merlin. decis. Roman. 647. *N.* 1. *& decis.* 887. *N.* 27.
Ludovis. decis. 330. *Num.* 4.
Scacc. de sentent. & re judic. gloss. 14. *quæst.* 32.
Odd. de rest. in integrum part. 2. *quæst.* 69. *N.* 2. *& seqq.*
Card. de Luca de judic. disc. 36. *Num.* 30.

§. VII.

In tertia Diſſertationis parte Incolarum Patronus de ultimo Civium præſidio, de conſuetudine ſcilicet, & præſcriptione late differit. Et primo quidem ait, notiſſimi juris eſſe, ſine bona fide nulli præſcriptioni locum eſſe nequidem longiſſimi temporis, & nec centum, nec mille annorum, nec ei, quæ hominum omnium memoriam excedat: ita autem juris eſſe non modo in præſcriptione privatorum, ſed etiam univerſitatum; univerſitatem enim ne in æternum quidem poſſe præſcribere, ſi primorum civium poſſeſſio vitioſa fuerit, & cum mala fide inchoata; ſemper enim malam fidem continuatam videri, poſſeſſionemque ad poſteros cum ſuo vitio tranſire; cum univerſitas, aut populus idem ſemper eſſe intelligatur *(a)*: quod autem Ripenſes cives jam initio poſſeſſionem ceperint, præſcriptionemque inchoaverint cum mala fide, manifeſtum eſſe ex eo, quod iniquum tributum, de quo agimus, indixerint Incolis pretextu privilegiorum, quibus id jus ſibi a Principe datum eſſe jactabant: quod tamen datum non eſſe, ſed falſo, ac perperam privilegia fuiſſe allegata, ſatis jam ſupra oſtenſum eſt: quum itaque de vitioſo initio, & de infecto, falſoque titulo conſtet, quamcumque præſcriptionem, aut conſuetudinem nullius habendam eſſe momenti *(b)*. Alia quoque plura contra præſcriptionem allata ſunt ad oſtendendum, eam Incolis obeſſe non poſſe, præſertim quod ſoli Cives res municipii adminiſtrare, ii ſoli privilegia, ac documenta omnia apud ſe cuſtodire, redditus publicos exigere, pecunias in ſumptus erogare, eorumque rationes annuatim ſecreto inire, ac diſpungere ſemper conſueverint, Incolis rerum omnium ignaris, quippe quibus ad Conſilium municipale aditus nullus eſt, neque unquam fuit: quo fit, ut ſicuti in Civibus, qui privilegia ſua ſoli penes ſe affer-

---

(a) *Loſæus de jure Univers. part. 3. Cap. 17. N. 3.*

(b) *Gaill. lib. 1. obs. 31. N. 14. Cancer. var. reſol. part. 3. cap. 3. Riccius decis. 348. N. 14. part. 4.*

aſſervabant, plena eorum, quæ in iis ſcripta eſſent, ſcientia præſumi debeat, & hinc dum iis tam prave abutebantur, mala eorum fides ſatis conſtet, ex diverſo in Incolis omnimoda ignorantia præſumenda ſit; ob quam quidem ignorantiam undique probabilem, ac juſtam, vel preſcriptionem adverſus eos currere non potuiſſe, vel contra præſcriptionem reſtitutionis in integrum auxilio eis ſuccurri æquiſſimum eſſe, uti communiter cenſent Jureconſulti, & ſæpius Supremæ Curiæ judicarunt (*a*) idque locum habere etiam ſi agatur de præſcriptione immemorabili (*b*).

§. VIII.

Et profecto nulla unquam neque probabilior, neque juſtior fuiſſe videtur ignorantia, quam ea Incolarum, de qua nunc agimus; ii enim ferme omnes negotiationis gratia Ripam appulſi, conſtitutoque ibi domicilio, ſtatim primo anno tributum, quod *daeriam* dicunt, a Civibus ſibi imponi viderunt, ſimulque edici, ni ſolverint, extemplo Prætorem captis pignoribus eos coacturum eſſe. Novi homines, ac jurium municipalium ignari, neque conſultum putantes ipſo fortunarum ſuarum initio litibus ac jurgiis ſe implicare, neque cives offenſos, aut inimicos habere, nil mirum, ſi tributum, quod petebatur, exſolverent, & progreſſu quoque temporis exſolvere pergerent. Quid quod & vera eſſe, quæ cives de privilegiis ſuis prædicabant, & omnia ex fide bona geri, credere eos oportebat, proindeque & utilitatem, neceſſitatemque publicam id tributum expoſcere, & æqualiter inter cives, atque incolas eſſe diſtributum, ſicuti jus, & ratio jubent? Quamobrem ſi vera eſt regula, quod non valenti agere non currat præſcriptio, quo pacto agere ii valuiſſent, dum nullo modo ſcire, & ne ſuſpicari quidem poterant, tam inique ſecum a civibus agi, ut tributum & ultra quam neceſſitates publicæ expoſcerent, indiceretur, & ſibi ſolis indiceretur; cives au-

(a) *Cancer. var. res. part. 1. Theſaur. decis. 103. N. 7. Surd. decis. 4. N. 7.*
(b) *Odd. de reſt. in integ. part. 2. quæſt. 90. art. 6. per tot.*

autem ab eo relinquerentur immunes jure omni divino, atque humano contempto? Hæc tam prava, atque improba agendi ratio nec sciri ab eis, nec credi ullo modo poterat. Et profecto res ipsa ostendit, retroactis sæculis paucissimos tantum Incolas in aliquam ejus rei suspicionem venisse; quum paucissimi tantum tributum pendere detrectaverint. Postquam autem omnes anno 1731. rem ita esse cognoverunt, atque id fieri, quod nullo pacto credibile erat, certiores facti sunt, illico injuriæ civium obsistere, litemque adversus eos in ipso Principis Consistorio inchoare haud cunctati sunt.

§. IX.

In póstremo denique Allegationis suæ Capite Scribens pro incolis ostendit, quod etiamsi revera Ripæ civibus tributi, de quo agimus, imperandi jus esset, ut scilicet pro modo prædiorum, quæ possident incolæ, duo cum dimidio in singula mille eorum æstimationis pendere debeant, adhuc rationem, qua prædia æstimantur, periniquam esse, dum solum pretium, quo unaquæque res empta fuit, cives respiciant. Etenim in æstimatione facienda non pretium, quod ab emptore solutum est, sed unice fructuum quantitatem, quam res ipsa ferat, aut ferre possit, attendi oportere, potissimum in tributis indicendis, distribuendisque docent Jureconsulti plane omnes (*a*). Id vero præsertim æquissimum est, ubi de domibus æstimandis agatur; norunt enim omnes, in iis ædificandis magnam quidem erogari solere pecuniam, atque pro iis conservandis, reficiendisque graves quoque sumptus necessarios esse, sed admodum tenues pluribus in locis fructus, pensionesque ex eis percipi. Quapropter recte censent qui ajunt, in ædium æstimatione non pretium materiæ, aut cæmentorum, neque impensarum, quæ in iis ædificandis factæ sunt, rationem habendam esse, sed duntaxat fructuum, pensionumque, quæ juxta cujusque loci conditionem ex eis capi possunt (*b*).

§. X.

(a) *Klock. de contrib. Cap.* 11. *N.* 100. & *Cap.* 17. *N.* 90. *seq. Ant. Faber ad Cod. lib.* 8. *tit.* 30. *definit.* 21.

(b) *Ludovis. decis. Rom.* 558. *Num.* 15. *Joseph. Ludov. decis. Perus.* 65. *N.* 11.

§. X.

Hæc ſunt, quæ ante ſexaginta annos ab Avo meo pro Incolis accurate, copioſeque, & pro regionis, ac temporis, quibus vixit, conditione, ſatis ſcite quoque, ac docte diſputata ſunt. Adverſus ea Ripenſes Cives Allegationem juris & ipſi protulerunt typis pariter cuſam, cujus ſumma hæc eſt: plura eſſe onera, ac ſumptus, quæ ex ærario municipali, & ex redditibus Municipii annuatim exſolvuntur; qui quidem redditus inter Cives ipſos aut Municipes annuatim dividi poſſent, niſi ii in publicos ſumptus erogarentur: Cives igitur indirecte ſuam publicorum ſumptuum partem ferre, proindeque verum non eſſe, eos ab omni præſtatione immunes relinqui: diſtinguendum porro inter tributum, & collectam eſſe, magnumque inter hæc duo eſſe diſcrimen; tributum enim illud eſſe, quod certa, & generali lege ſtatutum eſt, ita ut quot annis recurrat, certamque preſtationem habeat, collectam vero, quæ certam, ſtabilemque præſtationem non habet, ſed ob extraordinarias neceſſitates indicitur, ac modo major, modo minor eſſe ſolet: quæ ab Incolis in medium allata ſunt de muneribus non indicendis niſi publica neceſſitate exigente, & de æqualitate inter cives, & incolas ſervanda, in collecta tantum locum habere: hic vero non de collecta agi, ſed de tributo certo, ac ſtabili, quod ſingulis annis Incolæ Civibus pendere debent: hoc in univerſitate quamdam ſapere ſuperioritatem, & in habitantibus ſubjectionem, naturamque aſſumere minoris regalis *(a)*: fruſtra igitur hic diſputari de æqualitate inter cives, & incolas ſervanda; nam hoc idem eſſet, ac ſi quæratur æqualitas inter creditorem, & debitorem, inter ſuperiorem, & ſub-

---

N. 11. *ſeq. Klock de contrib. Cap.* 11. *N.* 100. *ſeq. & Cap.* 17. *N.* 57. *ſeqq. Mantic. de tacit. lib.* 4. *tit.* 20. *N.* 15. *ſeq. Cyriac. contr.* 160. *N.* 56. *ſeq. Surd. Conſ.* 151. *N.* 70. *Palma Nep. alleg.* 327. *N.* 25. *Tom.* 4. *Mans. Conſult.* 30. *N.* 23. *Tom. I.*

(a) *Klock de contrib. cap.* 3. *N.* 140. *ſeqq.*

& subjectum: quod attinet ad privilegia, ad sententias, aliaque documenta superius memorata, nunquam Cives ea in judicio produxisse, sed Celsissimo tantum Principi extra judicium exhibuisse: non in eis jus, de quo disceptatur, fundare Cives, sed in vetere, atque antiquissima consuetudine, & immemorabili sua possessione. Ajunt porro, non solum universitates, sed etiam privatos regalia minora posse acquirere, & possidere privilegio, præscriptione, aut consuetudine, quidquid sit de regalibns majoribus, aut juribus majestaticis (*a*); plures enim esse civitates, quæ jurisdictionem obtinent, & aliquando mixtum imperium ex Principum gratia, vel præscriptione, aut consuetudine, easque non tantum collectas imponere, sed exigere quoque juramenta obsequii, & obedientiæ (*b*): quæ vero regalia expressim concedi possunt, ea quoque posse præscribi ob regulam, quod omne concessibile sit præscriptibile: data vero consuetudine, vel præscriptione quærendum non esse de titulo; cum præscriptio ipsa immemorabilis præbeat titulum, & quidem, ut vulgo dici solet, meliorem de mundo: perperam autem Universitatem Ripæ malæ fidei incusari; quum tunc demum quis malæ fidei possessor sit, cum sciat indubitato, rem, quam possidet, ad alium pertinere, vel exigere non posse, aut retinere, quod accepit, sed ubi hæc clare non constent, etiamsi quis erraverit, aut dubitaverit, non inde malam fidem induci, quæ præscriptionem impediat (*c*). Deinde ajunt, adversus præscriptionem præsertim immemorabilem equidem censere multos, dandam esse restitutionem in integrum, contrariam tamen sententiam veriorem esse, & in Tribunalibus magis receptam, adductis in id Doctorum testimoniis (*d*): tum vero sententias anno 1556. 1575. 1633. 1663. a Ripæ Prætoribus latas, quibus pronunciatum, Ripæ cives conservandos esse in possessione Daeriæ

(a) *Sixtin. de Regal. lib.* 1. *cap.* 4. *N.* 100. *Ertel. de differ. inter Suprem. Territ. & Regal. cap.* 5. *Struvius de Territ. Statuum & super. cap.* 254.
(b) *Klock de contrib. cap.* 5. *N.* 101.
(c) *Vasquius Controv. Illust. Lib.* 2. *Cap.* 51.
(d) *Klock. de contrib. Cap.* 20. *N.* 287. *Thesaur. decis.* 134. *Vasquius Lib.* 2. *Cap.* 75.

ab incolis exigendæ, rei Judicatæ vires habere quoad omnes etiam postea venientes; cum sententia lata contra cives, vel homines alicujus loci noceat omnibus sequentibus, etiamsi non sint hæredes eorum, qui judicio victi sunt; quum videantur iidem cives, & homines esse (*a*): easdem sententias non privilegiis modo civium innixas esse, verum etiam vetustissima possessione, ac consuetudine: quare eas nec ex falsa causa profectas, neque adeo irritas censendas esse, cum ad eas tutandas satis sit, alteram saltem ex allegatis causis veram esse (*b*): denique daeriam sive tributum duorum cum dimidio in singula mille grave nimis, aut durum non esse; cum Incolæ ab omni alia pensitatione, & onere immunes sint, contra vero plura sint munera personalia, quæ soli Cives subeunt: quamvis autem rerum æstimatio non ex pretii, quo emptæ sunt, sed ex fructuum quantitate facienda videatur, attamen standum esse in hac tributorum materia locorum moribus, ac consuetudini.

X I.

Ita Sribentes pro Civibus haud segniter eorum causam, sed solerter, strenueque defendere conabantur: jamque lis in petitorio incepta erat, de eaque magnis animis disceptabatur. Verum antequam lis ipsa sententia dirimeretur, illud accidit præter spem, quod Incolas ab incepto retraxit. Cives enim callido consilio, ut adversariorum infirmarent vires, ipsorum Incolarum primores, eosque, qui plus animo, opibusque valebant, in civium numerum, suumque proinde cœtum alliciunt. Hæc inexpectata defectio potentiorum, qui civitate donati ad ipsorum civium partes transierant, reliquorum incolarum animos adeo fregit, exterruitque, ut ex eo tempore litem omiserint, quam tanta contentione inchoaverant, atque adeo jugum, quod jam exuere sperabant, iterum ferre, ac pati debuerunt, fru-

stra

(a) *Salgad. de protect. regal. part. 4. cap. 8. Num. 322.*

(b) *Altimar. de nullit. sent. tom. 2. rubr. 13. quæst. 6.*

ſtra licet querentes , murmurantefque. Anno demum 1784. novos illi animos ſumentes, nec vanis querelis tempus amplius abſumendum rati, iterum icto inter omnes fœdere veterem litem inſtaurare cæperunt, ſed iterum in poſſeſſorio victis, uti facile prævideri poterat, non alia modo victoriæ ſpes ſupereſt, quam ſi de petitorio, ac jure ipſo diſceptetur. Quum vero anno proxime præterito plures civiles diſcordiæ Ripæ exortæ eſſent, & tum inter ipſos Cives factiones, ſeceſſioneſque, cum inter Cives, & Incolas diſſidia eſſent, magnique motus fierent, ſic ut res in ſeditionem, ac mutuas cædes mox eruptura videretur, factum fuit, ut ego omnibus quoque contrariis Partibus poſtulantibus illuc a Principe miſſus eſſem ad motus ſedandos, diſſidentiumque animos conciliandos: quod cum feliciter atque ex voto eveniſſet, accidit, ut pridie quam ex urbe diſcederem, quum in Civium Concilio eſſem, dici a non nullis cœptum ſit, unam adhuc reſtare rem cœteris recte compoſitis, litem ſcilicet *Daeriæ* inter Municipes, atque Incolas recenter magnis animis inſtauratam, qua iterum pax in civitate turbari poſſet: tum vero omnes Cives ingenti conſenſu me exorare, ut hanc quoque ſtuderem ex æquo, & bono dirimere, paratos ſe eſſe, rem omnem in me compromittere, ſi Incolæ aſſentiantur, omni appellatione remota. Reſtiti ego quantum potui huic Civium voto; quum alia ſtudia, aliæque me occupationes diſtringerent, ſed eorum tandem precibus me vinci paſſus ſum, & quum ab Incolis quoque æqualiter compromiſſum eſſet, quamquam ægro animo arbitrium recepi, atque ita factum fuit, ut controverſiæ, in qua Avus alteri ex partibus duodecim ante luſtra orator ac patronus fuerat, ejus arbiter ab utraque parte Nepos lectus eſſet. Impleturus nunc igitur munus, quod ſuſcepi, primo omnium probe mihi cavendum eſſe duxi, ne qua inſita jam ante menti, aut præconcepta opinio, neve ulla gratia, aut amor erga Avi memoriam me vel hilum in errorem traheret, aut e recta via abduceret, quare dandam mihi eſſe operam, ut rem omnem ſine ullo partium ſtudio accuratius, ac diligentius expenderem. Antequam autem aperiam, quod ex animi ſententia cenſeo, nonnullas juris regulas ponendas eſſe puto, quæ deciſioni ipſi viam ſternent, ſententiamque, quam dicturus ero, ſatis ſolide, uti ſpero, valideque communient.

§. XII.

§. XII.

Municipium omne, ut & alia quævis civitas conſtat, ut & ante diximus, ex municipibus ſive civibus, & incolis, qui unam univerſitatem conſtituunt (a). Cives quidem origo, vel allectio facit, incolas vero domicilium facit. Ii autem dicuntur incolæ, ibique ſinguli domicilium habere cenſentur, ubi quis larem, rerumque ac fortunarum ſuarum ſummam conſtituit (b). Neque tantum hi, qui in Oppido morantur, incolæ ſunt, ſed etiam qui in alicujus Oppidi finibus ita agrum habent, ut in eum ſe quaſi in aliquam ſedem recipiant. (c) Hodiernis Europæ moribus, & noſtris incola quidem inſtar civis eſt, plenus autem, & verus civis non eſt; nam cives proprie ſunt, hocque nomine nuncupantur ii tantum, qui civilis cætus membra ſunt, ac jurium, & beneficiorum civilium participes fiunt (d) Incolæ autem genus ſunt civium cujusdam diverſi, & inferioris ordinis; nam membra quidem ſunt civitatis, in qua degunt, ſed non omnia jura, emolumentaque, quibus cives gaudent, conſequuntur (e). Quare iis juribus civilibus fruuntur incolæ, quibus certa prærogativa non adhæret, & quæ civi proprie dicto peculiariter conceſſa non ſunt, quo referuntur honores, magiſtratus gerendi facultas, jus ſuffragii ferendi in civitatis concilio; ab his enim excluduntur incolæ: in cœteris vero inter cives, & incolas, quatenus hi æque ac illi membra ſunt civitatis, diſcrimen non eſſe teſtantur Jureconſulti omnes (f) ita quidem ut ſi e. g. immunitas a vectigalibus Civitati conceſſa ſit, ea non ad incolas minus, quam ad cives pertineat (g).

§. XIII.

(a) *Zahn. polit. Municip. Lib. 3, Cap. 30. N. 1.*
(b) *L. 7. Cod. de incolis.*
(c) *L. 239. §. 2. D. de verb. ſignif.*
(d) *Mœvius part. 2. deciſ. 49. N. 2. Zahnius loc. cit. N. 26.*
(e) *Vattelius de Jure gentium Lib. 1. Cap. XIX. §. 213.*
(f) *Schilter. Diſſert. de jur. peregrin. §. 37. Zahn. loc. cit. n. 27. ſeqq.*
(g) *Gaill. Lib. 1. obſ. 35. n. 6,*

§. XIII.

Cœterum incolas in civitate, aut municipio, in quo degunt, omnibus civilibus, aut publicis muneribus æque ac cives ipſos fungi debere diſerte in jure ſcriptum eſt (*a*). Munerum autem civilium alia ſunt perſonalia, alia patrimoniorum, alia mixta. Perſonale munus eſt, quod corporis labore, aut cum ſollicitudine animi, & vigilantia exercetur, patrimonii vero, in quo ſumptus maxime poſtulatur (*b*). *Sciendum eſt*, inquit Ulpianus, *quædam eſſe munera aut perſonalia, aut patrimoniorum, itidem quoſdam eſſe honores . . . . Sed enim hæc munera, quæ patrimoniis indicuntur, duplicia ſunt; nam quædam poſſeſſoribus injunguntur, ſive municipes ſint, ſive non ſint, quædam non niſi municipibus, & incolis. Intributiones, quæ agris fiunt, vel ædificiis, poſſeſſoribus indicuntur, munera vero, quæ patrimoniorum habentur, non aliis quam municipibus, & incolis* (*c*). Nimirum perſonalia munera quædam honores appellantur, uti adminiſtratio rei publicæ cum aliquo dignitatis gradu, quædam ſordida dicuntur, quia ſolo corporis miniſterio conficiuntur, & vilioribus conferuntur perſonis, quædam denique media ſunt, quæ neque ſordida ſunt, neque dignitatem habent. Patrimoniorum autem munera aut ſunt mere realia, quæ principaliter rebus imponuntur, eorumque quantitas certa, & generali lege ſtatuta eſt, & ſingulis annis recurrunt, certamque præſtationem habent; quamobrem munera ordinaria dicuntur, ut ſunt indictiones, aut tributa, quæ vulgo *Steure* appellantur, in quibus nervi rei publicæ ſunt. Munera autem partim perſonalia partim realia, & quæ ideo mixta vocantur, ea ſunt, quæ principaliter perſonis indicuntur propter res, quas poſſident, eaque certam, æqualemque præſtationem non habent, ſed incertam; quum ob evenientes tantum neceſſitates indici, adeoque pro neceſſitatum modo augeri, minuique ſoleant: hæcque mune-

(a) *L.* 29. *D. ad Municipal. & de Incolis.*
(b) *L.* 1. *D. de muneribus, & honoribus.*
(c) *L.* 6, §. 3. *ſeq. D. de muner. & honor.*

munera extraordinaria dicuntur, atque a Doctoribus collectæ appellantur. Ita rem hanc omnem recte explanat, declaratque Andreas Gaillius (*a*). Munera ordinaria ſive patrimoniorum, quæ a lege ſtatuta certam, annuamque præſtationem habent, non ſolum municipibus, & incolis, verum etiam iis, qui neque municipes, neque incolæ, ſed extranei ſint, injungi poſſunt; rebus enim, & patrimoniis indicuntur, non perſonis: munera autem mixta, ſeu extraordinaria, quæ collectæ appellantur, ſolis municipibus, & incolis a Civitate imponi poſſunt, non exteris prædiorum poſſeſſoribus, cum principaliter perſonis rerum contemplatione indicantur, eæque magis ad commodum, utilitatemque civium, & incolarum, quam exterorum pertineant, uti ſunt refectiones Eccleſiarum, pontium, viarum, fluminum, & his ſimilia (*b*) niſi ſpecialiter privilegium civitati datum ſit, & jus ea exteris quoque poſſeſſoribus injungendi (*c*) uti datum eſt Civitati Ripæ contra Thenenſes, & Judicarienſes: quæ res nihil ad cauſam noſtram pertinet. Cœterum hæc omnia munera, de quibus diximus, quæ & perſonalia, & patrimoniorum, & mixta ſunt, una ſignificatione comprehenduntur; nam civilia, ſeu publica appellantur (*d*).

§. XIV.

Hæc ſunt legum præcepta, jurisque regulæ in hac munerum civilium, aut publicorum materia, quæ moribus quoque noſtris, uſuque obſervantur. In univerſa enim Tridentina Ditione, atque in omnibus ferme Oppidis, ac Municipiis ita ſe res habet. Omnes prædiorum poſſeſſores, ſive cives aut incolæ ſint ejus Municipii, in quo prædia poſſident, ſive non ſint, primo antiquum illud tributum, quod *Salarium* vocant, annuatim proprio Principi pendunt, quod pro modo prædiorum, quæ quiſque poſſidet, diſtributum eſt,

(a) *Lib. 2. obſ. 52. n. 4. ſeqq.*
(b) *Gaill. loc. cit. n. 11.*
(c) *L. 17. §. 5. D. ad Municip. & de incolis.*
(d) *L. 18. §. 28. D. de muner. & honor.*

eſt, deinde vero aliud tributum recens indictum ſimili modo diſtributum; quod *Steuram* dicunt, quodque in Ærarium Tyrolenſis Provinciæ infertur ob fœdus, quod inter eam, & Tridentinam Ditionem initum eſt ad defenſionem communis Patriæ. Præter hæc autem ſingula Municipia, ſi qui ſumptus faciendi ſint ad neceſſitatem, utilitatemve publicam, atque ob id collecta indicenda ſit, eam æqualiter omnibus civibus, & incolis injungunt. Incolæ præterea omnia perſonalia munera, quæ corporis labore exercentur, uti ſunt viarum, aut pontium refectiones, obire coguntur, ſed æqualiter ſemper cum ipſis civibus, ab honoribus autem, & officiis, a jure ſuffragii in municipum conventibus, & ab omni adminiſtratione municipii arcentur; nam hæc ad ſolum civium jus ac prærogativam pertinent. Solent inſuper municipia annuatim in ſylvis cæduis aliquam lignorum, aut frondium diſtributionem municipibus ſuis facere, cujus incolæ participes non fiunt. Si qua porro univerſitas tale patrimonium, redditusque habeat, ut exſoluto ære alieno, omnibuſque publicis ſumptibus ſatisfacto, adhuc pars aliqua ei ſuperſit redditiuum, (quod tamen rarius contingit) id quod ſupereſt, annuatim inter cives eoſque ſolos diſtribuitur. In cœteris autem incolæ eadem jura, atque emolumenta conſequuntur, quibus cives gaudent; nam & paſcuis publicis fruuntur, & facultate ligna cœdendi in ſylvis aut montibus municipii: ſolummodo tenuiſſimum nonnullorum crucigerorum tributum annuatim ab eis exigitur, quod *incolatum* plerumque vocant, & præterea modicam quamdam penſitationem pro uſu paſcuorum, ac montium, quæ pro numero armentorum, pecudumve, quæ unusquiſque in paſcua immittit, ac pro quantitate lignorum, quæ quiſque cædit, æque tamen ac moderate ſingulis injungitur: quod a ratione non abhorret; nam quamvis privilegiis & bonis civitatis frui debeant incolæ, atque etiam paſcuorum utilitas ad eos pertineat, ut ait Zahnius, mores tamen hac in re cujuſque civitatis inſpiciendos eſſe probe monet (a). In Civitate Ripæ Incolæ tributum illud, quod ſteuram vocant, pro quantitate, atque æſtimatione prædiorum, quæ quiſque habet, æque ac ipſi Cives annuatim exſolvunt,

(a) *Zahnius polit. Municip. Lib,* 3. *Cap.* 30. *n.* 30.

vunt, & si qua publica necessitas postulet, omnia præterea munera publica, quæ iis injunguntur pro refectione viarum, pontium, aliaque iis similia obire solent, omnesque pariter sumptus extraordinarios ferunt, quos tempora necessarios fecerint, uti in postrema hospitatione militum evenit. Sed præter hæc omnia Incolis Ripæ illud singulariter onus injungitur, ut quot annis, quemadmodum ante diximus, duo cum dimidio in singula mille eorum prædiorum, quæ possident, Municipibus pendere cogantur: quod tributum in Municipii ærarium infertur, & inter cæteros municipales redditus numeratur. Hoc autem illud est tributum, de quo gravissime queruntur Incolæ, ac semper retroactis sæculis questi sunt, hoc illud est, quod sine exemplo esse, quod omnino iniquum, prorsusque indignum, acerbumque esse clamant.

§. XV.

Mihi profecto quo magis rem hanc ad æqui bonique regulas revoco, eo semper videtur apertius, hoc tributi genus magna esse cum injustitia, & injuria conjunctum. Quod vel ex hoc uno dilemmate intelligi potest. Vel enim pecunia, quæ ex eo tributo colligitur, ad sumptus Municipii necessaria est, vel non est. Si necessaria non est, nemo unus erit, qui non dicat, injustissimum ergo esse tributum; nam bona cujusque, aut proprietates sacræ, & inviolabiles esse debent, nemoque sive in magna, sive in parva sit societate, quicquam ei pendere, aut præstare tenetur, nisi quod publica utilitas, aut necessitas postulet. Ipsi summi Imperantes tantum ex universis reipublicæ, ac privatorum bonis decerpere possunt, quantum exigit necessitas, ut scilicet & pro status sui prærogativa se alere, & rempublicam interius & exterius custodire, & defendere possint; nam ad tributa, & ad alia onera ferenda cives nullo alio nomine tenentur, quam quatenus ea necessaria sunt ad sumptus belli pacisque tempore tolerandos. Quamobrem si id pendere cogantur homines, quod necessitates reipublicæ non postulent, aut plus pendere quam postulent, iniquum id esse non modo fatentur omnes juris publici scriptores, atque eo pacto humanæ societatis jura violari, verum id quoque cuncti, qui sana ratione præditi sunt, homines sentiunt. Multo ergo magis nefas id esse existimandum est inferiori-

ribus Magiſtratibus, aut Municipiis; nam in quibuſcumque penſitationibus, ſive eæ ordinariæ ſint, ſive extraordinariæ, ratio quæſtuum, & neceſſitas erogationum inter ſe congruant oportet, ut Tacitus ait (*a*); neque unquam turpius peccatur, quam cum plus poſcitur, quam publicus uſus, aut neceſſitas poſtulet (*b*). Imo ſi qua neceſſitas alicui civitati obvenerit, præclare ſcribit Cicero, dandam eſſe operam a civitatis Rectoribus, ut omnes ſciant, eam penſitationem neceſſariam eſſe civitatis ſaluti, omnesque intelligant, ſi ſalvi eſſe velint, neceſſitati eſſe parendum.

§. XVI.

Quod ſi vero Cives Ripenſes eam pecuniam, quam ex Incolarum tributo annuatim colligunt, ad ſumptus civitatis eſſe neceſſariam dicant, tum vero nihil eſt juſtitiæ, ac rationi magis conſentaneum, ut ab Incolarum Patrono toties dictum eſt, quam quod id munus omnibus ex æquo civibus pariter & incolis injungatur, nullo inter cives, incolaſque diſcrimine. Imo cives cœteros omnes præire deberent exemplo; nam uti ſapienter Lævinus Conſul in Senatu Romano diſſerebat: *Magiſtratus Senatui, & Senatus populo ſicut honore præſtat, ita ad omnia, quæ dura, atque aſpera eſſent, ſubeunda ducem debere eſſe: ſi quid injungere inferiori velis, id prius in te; ac tuos ſi ipſe juris ſtatueris, facilius omnes obedientes habeas . . . . itaque nobiſmet ipſis primum imperemus* (*c*). Nihil vero eſſe poteſt iniquius, quam quum ea munera, aut ii ſumptus civium æque atque incolarum commodum, utilitatemque reſpiciant, eos ſolis incolis injungi, civibus autem, aut municipibus non injungi, hoſque commodis quidem, atque utilitatibus frui, ſumptus autem aut onera non ferre. Fruſtra vero obtendunt Cives, nonnulla eſſe munera, quæ ſoli ipſi ſubeunt, incolæ non ſubeunt; nam hoc objectum plane refellitur, dum Incolæ paratos ſe profitentur eſſe ad omnia

D pror-

(a) *Lib. 4. Annal.*

(b) *Klock. de contrib. Cap. 17. n. 1. & ſeqq.*

(c) *Livius Hiſtor. Lib. XXVI.*

prorſus onera, ac munera obeunda, quæ Cives obeunt, ſi quæ ſint, quæ ab iis ſolis obeantur, ſive perſonalia ea ſint, & ſordida, ſive non ſint, ſive ſumptum aliquem poſtulent, honores ſolis civibus relinquentes, a quibus ſe excludi patienter ferent Incolæ, ſi ita Civibus lubeat. Quod cum ita ſit, nulla mehercule cauſa eſſe poteſt, quamobrem eo tributo, quod Daeriam vocant, Incolæ ſoli graventur, Cives autem relinquantur immunes; nihil enim indignius eſſe poteſt, quam alios præ aliis ultra debitum onerari; cum omnes ex æquo cenſeri debeant, & ab omnibus pro modo fortunarum ſuarum munera publica æqualiter ſubeunda ſint ac tributi pecunia conferenda. Id non modo civilibus Romanorum legibus conſtitutum eſt, ſed omnium populorum, ac gentium, quæ ubique ſunt, quaecumque in ora ac parte terrarum, id denique æterna illa Lege cautum eſt, quam ſapientiſſimus Legislator Deus inter omnes homines conſtituit, quam non accepimus, legimus, verum e natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus, ad quam non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus.

§. XVII.

Notum eſt, apud Romanos jam a *Servio Tullio Rege* cenſum ſapienter inſtitutum fuiſſe, in quem patrimonium cujusque rite æſtimatum referebatur, ut munera belli, paciſque quiſque pro viribus patrimonii exſolveret. Cenſendorum bonorum formam late tradit Ulpianus (*a*): in cenſuales autem tabulas omnes perſonas pro omnibus rebus referri oportet, itaut omnes pro ſuis quiſque facultatibus ad publica munera coarctentur, & a ſummis ſarcina ad infimos uſque decurrat, ut ajunt Imperatores Arcadius, & Honorius (*b*), nec per bonam, malamve gratiam hi premendi, illi levandi ſunt; nam & reipublicæ intereſt, ne ditiores opprimant pauperes, & natura iniquum eſt, alium præ alio gravari, aut munera publica non æqualiter diſtribui (*c*). Quamobrem theſeum illum æqualitatis filum recte tenendum, om-

(a) *L.* 4. *D. de cenſibus.*
(b) *L.* 1. *Cod. de quibus muner. vel præſtat.*
(c) *L. ult. Cod. de annon. & tribut. L.* 10. *Cod. de fund. patrim.*

omnium Sapientum monitum est, commodaque hominum non divellenda, sed omnes eadem æqualitate continendos esse (*a*), ut sol, & dies omnibus in commune nascitur (*b*). Hoc ipsum cunctæ excultæ gentes, populique faciunt; omnes enim censuales tabulas rite fieri jubent, in quas omnium indistincte civium, & incolarum bona censentur, atque identidem peræquatores constituunt, qui prædiis inspectis, & adæquatis invicem onera probe moderentur. Nulla autem forte fuit gens uspiam tam fera, aut immansueta, quæ sola incolarum bona in censum referri jusserit. Id nonnisi Ripæ factum videmus, ut Cives Librum quemdam censualem habeant, in quem sola incolarum bona relata sint, atque ab eis tributum duorum cum dimidio in singula millia, quæ possident, annuatim exigatur, a civibus autem ipsis non exigatur. Quid vero hac re durius, & acerbius esse potest? Quid magis contra jus, fasque omne? ut merito hic occlamare possis:

Quod genus hoc hominum est? Quæque hunc tam barbara morem
Permittit patria?

§. XVIII.

Adversus hæc, quæ diximus, Ripæ Cives ad antiqua sua privilegia, provocant, ad sententias, ac res judicatas, ad vetustissimum morem, ac consuetudinem, ad longissimam denique, atque immemorabilem præscriptionem, quæ sola titulum sibi omnium optimum præbeat, adeoque jus suum vetustissimis, iisque firmissimis præsidiis suffultum putant. Sed neque Principum privilegiis, neque rebus judicatis, neque consuetudine, neque præscriptione quantumvis longissima id jus defendi posse, cum non jus id sit, sed juris alieni violatio, facili negotio ostenditur. Primo quod attinet ad privilegia, quæ in medium afferuntur, jam antea §. V. ostensum est, ne unum quidem eorum esse, quod jus Ripæ civibus tribuat solos incolas eo onere gravandi, ipsos autem cives immunes esse jubeat; cuncta enim de solis

(a) *Cicer. offic. Lib.* 2.
(b) *Plin. in panegyr.*

ſolis extraneis, qui in territorio ejus prædia poſſident, loquuntur, non de incolis: tum etſi de incolis loquerentur, non ab iis ſolis civilia munera obeunda eſſe ſtatuunt, ſed ab omnibus prædiorum poſſeſſoribus æqualiter, & æquo jure cum civibus. Sententiæ, ac res judicatæ, quæ in medium proferuntur, nihil pariter civium cauſam adjuvant, tum quod omnes non contra Incolas generatim, eorumque cœtum, ſed contra unum tantum alterumve eorum, adeoque contra ſingulares ſolum perſonas latæ ſint, quæ proinde aliis Incolis neque prodeſſe, neque nocere valent, tum quod cunctæ in poſſeſſorio tantum judicio latæ ſint, juſque omne in petitorio intactum reliquerint, ut eundo per ſingulas palam fiet. Sententia anni 1556. contra duos tantum incolas lata eſt, & quidem tantum in poſſeſſorio judicio. Illa, quæ lata eſt anno 1575. contra ſex tantum Incolarum familias dicta eſt, pariterque poſſeſſionem tantum adjudicat civibus, & expreſſim reſervat litigantium jura in petitorio judicio. Idem cernimus in alia ſententia ejuſdem anni 1575. contra Jacobum Borchia: idem in ſententia anni 1577. contra Bartholamæum Paronum: idem in alia anni 1582. contra fratres de Marcheſanis, idemque in illa anni 1592. contra Doctorem quemdam Anzelinum, quæ omnes pariter in poſſeſſorio tantum judicio latæ ſunt. Idem denique cernimus in ſententia anni 1633. contra Doctorem Franzoſium, cui hæc clauſula a Judice nominatim adjecta eſt, *quouſque in petitorio judicio cognitum fuerit*, prout & in illa anni 1663. contra Joannem de Vigilis, quæ hanc ſimiliter habet clauſulam „ *ſalvo quocumque jure in petitorio judicio*. Patet igitur, ejuſmodi ſententias nihil habere momenti ad rem, de qua nunc agimus; nam non de poſſeſſione nunc diſceptant Incolæ, neque civium poſſeſſionem ii inficiantur, aut in quæſtionem vocant, ſed de jure ipſo in petitorio litem agunt, de eoque cognoſcendum modo, judicandumque eſt. Neque vero novum, aut infrequens eſt, eos, qui in poſſeſſorio judicio victores fuerint, in petitorio poſtea judicio vinci, cum de poſſeſſionis juſtitia, ac de jure ipſo, quod in controverſiam venit, plenius cognoſcitur, in eoque nullo jure ſuffultam eſſe poſſeſſionem oſtenditur.

§. XIX.

§. XIX.

Privilegiorum itaque, rerumque judicatarum præsidio Cives dejecti quum sint, videndum nunc est, quam vim habeat aliud munimentum, in quo spem ponunt, vetustissima nempe consuetudo, ac mos, ad quem provocant. Non equidem ignoramus, magnam vim consuetudinis esse, atque in hac pensitationum materia spectandum interdum esse loci morem, & consuetudinem (*a*); tolerabilia enim sunt, quæ vetus consuetudo comprobat (*b*): verum id utique intelligendum est, si nihil iniquum habeat consuetudo, nihilque quod cum ratione, aut justitia pugnet: nam ut a Constantino rescriptum est (*c*) *consuetudinis, usus que longævi equidem non vilis auctoritas est, verum non usque adeo sui valitura momento, ut aut rationem vincat aut legem*. Non minus enim in consuetudine quam in legibus principem locum tenere debet justitia: quare id quod non ratione introductum, sed errore primum, deinde consuetudine obtentum est, in aliis similibus obtinere non debere ab Ulpiano responsum est (*d*), nec deinceps in judicando servari, sed in universum potius aboleri oportere veluti iniquam morum corruptelam monent juris nostri consulti omnes (*e*); consuetudo enim, uti diximus, esse debet rationi consentanea, quia consuetudo legis vicem obtinet: quamobrem si consuetudo injusta, aut improba sit, nullius omnino momenti est, quantumvis antiqua, vetustaque sit; male enim adinventa, malasque consuetudines neque ex longo tempore, neque ex longo usu confirmari expressim edixit Imperator (*f*).

§. XX.

(a) *L.* 1. §. 2. *D. de muner. & honoribus*.
(b) *L.* 13. *in fin. D. de pollicit.*
(c) *L.* 2. *Cod. quæ sit longa consuetudo*.
(d) *L.* 39. *D. de legibus*.
(e) *Gaill. lib.* 2. *obs.* 31. *n.* 12. *seqq. Voet. ad Pand. lib.* 1. *tit.* 3. *n.* 27. *seqq.*
(f) *Novell.* 134. *Cap.* 1.

§. XX.

Sed nec illud silentio prætereundum est, male in hac causa consuetudinem allegari, cum juxta Jureconsultorum placita non consuetudo, sed præscriptio hic tantum locum habere posset. Differt enim consuetudo a præscriptione, quod consuetudo tamquam legis species ad jura singularium personarum, aut Cœtuum pertinere nequeat; sed ubi res sit de jure unius adversus alterum, etsi de universitatibus, aliisve Corporibus agatur, non consuetudo allegari potest, sed præscriptio; quoniam universitas personam quamdam moralem constituit, sive cum alia universitate disceptet, sive cum singulari persona litem habeat (*a*). Et revera præscriptioni potissimum innituntur Cives Ripenses, in eaque spem videntur collocare omnem. Verumtamen si unquam præscriptio jure appellata est improbum, & iniquum præsidium, uti vulgo appellari solet, vel certe in hac causa, vel nunquam aliàs eo nomine jure vocari poterit. Exploratissimi juris est, præscriptionem quantumvis immemorabilem & quantivis temporis auctoritate munitam, si de vitiosa possessionis initio, aut de infecto titulo constet, nullius esse momenti, nullumque ex ea jus tribui, ut in allegatione pro Incolis luculenter, copioseque ostensum est; injustus enim, aut infectus titulus malam præscribentis fidem ostendit, quæ omnem impedit præscriptionem (*b*). Frustra vero tunc dicitur, ex tam longo temporis cursu optimum quemcumque titulum præsumi oportere; nam cum reapse de vitioso initio, aut titulo constat, recte respondent, præsumptionem cedere debere veritati. Ita pariter nihil refert, quod licet titulus aliquis injustus appareat, possit nihilominus possessor alium quoque titulum, & inde bonam fidem habuisse; nam nemo præsumitur ex alia causa, aut titulo possidere, quem non ostendit, si de injusto titulo, ex quo incepit possidere, constet (*c*). In nostra

(a) *Card. de Luca de Judiciis disc.* 21. *n.* 6.

(b) *Rath. de præscript. Cap.* 3. *tit.* 34. *per tot. Klock. de contrib. Cap.* 20. *n.* 279. *seqq. De Luca de judiciis disc.* 21. *n.* 6. *seqq.*

(c) *Rath. de præscript. loc. cit. & Cap.* 4. *tit.* 47. *Fachinæus Controvers. Lib.* 8. *Cap.* 33.

ſtra autem ſpecie Cives Ripenſes poſſeſſionem exigendi tributi, de quo agimus, ex vitioſo inchoaſſe, & injuſto titulo manifeſtum eſt; quum non alio unquam titulo, aut cauſa innixi fuerint quam privilegiis, quæ ſibi Principes dediſſe ajebant. Quum autem privilegia, quibus hoc ſibi jus arrogarunt, poſſeſſionemque cœperunt, jus iſtud minime tribuant, & ne verbum quidem ejus rei ullum habeant, uti ſingula privilegia excutiendo ſatis jam ſupra oſtendimus, nihil eſt magis apertum, quam ex vitioſo, & injuſto titulo eos poſſeſſionem cepiſſe, ex titulo nempe falſo, & commentitio, minimeque vero.

§. XXI.

Et ſane privilegia, quæ diximus, nihil ad rem facere, ipſi quoque Cives agnoſcunt, ajuntque, ea in judicium anno 1730. a ſe non producta fuiſſe, & etiamſi producta eſſent, nunquam ita ſe arctaſſe, aut adſtrinxiſſe, ut iis tantum jus ſuum innixum vellent, aut iis ſolis pro titulo ſe uſuros eſſe dicerent: traditum autem eſſe a rerum forenſium magiſtris, quod qui rei, aut juris alicujus immemorabilem poſſeſſionem habeat, ſi titulum ad eam tuendam in medium attulerit, quamvis is minus idoneus, aptuſve ſit, hoc nihil obeſſe, quo minus ille alium eo meliorem titulum allegare queat, huncque imo ob immemorabilem ejus poſſeſſionem præſumi oportere (*a*). Aſt id non ita indiſtincte tradunt Pragmatici Doctores, ſed tunc demum, cum titulus in judicio productus ſit additis proteſtationibus, cautionibusque illis, quarum illi mentionem habent, & quas hic referre ſupervacaneum eſt; hæc autem ſi omiſſæ fuerint, omnes fatentur, veriſſimum eſſe, quod ante diximus, neminem præſumi poſſidere ex cauſa, tituloque diverſo ab eo, qui ab ipſo productus eſt, ſi novum, diverſumque hunc titulum reapſe non oſtendat. Sed & illud animadvertendum eſt, ex alia quoque cauſa id quod objicitur, in ſpecie noſtra locum non habere; nam quod revera Ripæ Cives non ex alio titulo cœperint poſſidere, quam ex eo commen-

---

(a) *Card. de Luca de Regal. diſc. 47. ſub n. 5.*

mentitio privilegiorum ſuorum, aperte oſtenditur ex eo, quod non modo nunc, aut in lite anni 1730. eum ſolum titulum in judicio protulerint, ſed jam antiquis quoque temporibus jus tributi, de quo agitur, exigendi ſemper, conſtanterque fundatum dixerint unice privilegiis Principum, neque alium unquam titulum, aut cauſam ad poſſeſſionem ſuam tutandam præter hanc in medium attulerint, uti fidem faciunt Sententiæ omnes ſuperius relatæ, & præſertim illa anni 1575., in qua privilegia cuncta, quæ alibi a nobis enumerata ſunt, ſingillatim recenſentur, iiſque innixam Civium eſſe poſſeſſionem aperte dicitur. Quod cum ita ſit, cumque Cives neque ante duo & amplius ſæcula, neque nunc, neque aliàs unquam alium titulum oſtendere potuerint, aut poſſint quam ea, quæ diximus, privilegia, ecquis affirmare audeat, aliis eos inſtructos fuiſſe titulis cenſeri poſſe, aut debere, & non contrarium potius omni jure præſumendum dicat?

§. XXII.

Sed demus nunc liberaliter, largiamurque, licere Civibus alios quoque titulos, quos ſibi magis faventes exiſtiment, allegare, eoſque ob immemorabilem, quam habent, poſſeſſionem præſumi quoque oportere. Allegent igitur titulum quemcumque malint, & quem optimum ſibi eſſe putent, adeoque alia quoque Principum privilegia diverſa ab iis, quæ in medium allata ſunt, quæque iis liberaliora, amplioraque ſint. Profecto jus omne, cujuſcumque demum ſit generis, quod homines habeant in alios homines in eadem civili ſocietate viventes, non alia re, aut fundamento inniti poteſt, quam vel pacto, & conventione inter eos inita, vel lege aliqua, quæ a ſumma in Republica poteſtate condita ſit. Eligant igitur Ripæ Cives utrum libet; hanc enim illis poteſtatem facimus. Si ita olim pactum, conventumque eſſe dicant inter cives & incolas, hocque vetuſtiſſimum pactum initium, titulumque fuiſſe ſuæ poſſeſſionis, primo adverſus illud objicere poſſent Incolæ, quod quamvis nihil magis fidei humanæ conveniat, quam ea, quæ ſemel placuerunt, cuſtodiri, attamen ſi antiqua conventio injuſta, aut iniqua ſpectato præſenti tempore appareat, temperandam a Judice eſſe, & ad æquitatis regulas redigendam communis ſit Juriſconſultorum ſententia, ſi de ea re agatur, quæ perpetuo & ſingulis annis alium gravet; iniquum

quum enim esse, quem unoquoque anno injusto premi onere, & plus quam æquum sit, cogi solvere (*a*). Sed missa faciamus ista; alia enim majora sunt, quæ hujusmodi conventionem, etiamsi inita revera foret, omnino everterent, atque irritam facerent. Profecto si cives ejusmodi pactionem titulum, aut initium fuisse suæ possessionis dicant, necesse est, eam jam annum 1556. præcessisse; quum jam tunc temporis, & longe antea possessionem suam inchoaverint, uti fidem facit sententia ab iisdem ipsis exhibita ejusdem anni 1556. Ex quo efficitur, pactum hocce, quod initum fingimus cum antiquis illis habitatoribus, qui olim Ripam ad habitandum venerunt, nihil ad hodiernos incolas pertinere; cum incolarum, qui nunc Ripæ degunt, ne unus quidem sit, qui ex illis, qui ante annum 1556. Ripæ erant, ortum ducat. Quamobrem antiquum illud pactum etiamsi initum revera foret, veteribus tantum illis habitatoribus nocere poterat, qui in id consenserunt, aut qui ab eis causam haberent, minime vero præsentibus incolis, qui neque ab eis originem trahunt, neque ullam ab eis causam habent; nulla enim est juris tum civilis cum naturæ regula certior, quam conventionem quamcumque iis tantum, qui eam inierunt, nocere, aliis vero non nocere, neque aliorum pactionibus aliorum jura lædi (*b*). Neque vero jure quisquam dixerit, pactum, quod cum antiquis incolis initum sit, etiam hodiernos adstringere, cum universitates nunquam intereant, & populus semper idem esse intelligatur; id enim dici fortasse poterit de civitatibus, aut universitatibus, quæ corpus quoddam, aut personam moralem constituunt, quæque semper eædem existimari solent, minime vero de iis hominibus, qui primum advenæ in aliena civitate larem figunt, ibique habitant; hujusmodi enim habitatores, & incolæ si sejuncti spectentur a civitate, in qua degunt, corpus nullum universitatis, neque collegium, neque cœtum faciunt, sed sine consilio publico, sine magistratu multitudo est nullius rei inter se socia, nullam personam moralem constituens, nulloque ne-

E que

(a) *Thesaur. decis. Pedemont.* 226. *De Luca de Regal. disc.* 73. *& alibi passim.*
(b) *L.* 27. §. 4. *D. de pactis L.* 3. *Dig. de transact. tot. tit. Cod. inter alios acta aliis non nocere.*

que pacto, neque conventione adſtringitur, niſi quod ſinguli expreſſim inierint: quare ii incolæ, qui modo ſunt, neque iidem cum iis, qui ante fuerunt, eſſe intelliguntur, neque in eorum jura, obligationeſve ſuccedunt, neque quicquam cum eis commune habent, ſed plane alii, diverſique ſunt. Itaque firmum manet, quod ante diximus, qualecumque pactum, quod olim cum antiquis Ripæ habitatoribus initum eſſet, hodiernis incolis uti nihil prodeſſe valeret, ita nihil eis nocere poſſe.

§. XXIII.

Quum igitur ex pacto, aut conventione jus, de quo diſceptatur, a Civibus adquiri nequiverit, ſupereſt, ut a ſuprema Poteſtate id jus ſibi tributum dicant lege aliqua ſpeciali, ſeu privilegio, quod privam legem appelabant veteres. Et revera ii, qui pro Civibus ſcribunt, hoc ipſo titulo ajunt, jus, de quo dicimus, iisdem datum exiſtimari oportere, hoc autem inter regalia minora recenſeri debere, neque novum eſſe civitates, aut univerſitates quin etiam privatos regalia minora poſſe acquirere, & poſſidere ex facultate, aut privilegio Principis, ſive quod expreſſim conceſſum eſſe conſtet, ſive quod ex immemorabili tempore præſumi debeat; quæ enim regalia expreſſim concedi poſſunt, ea quoque poſſe præſcribi. Enimvero dolendum profecto eſt, ejuſmodi privilegium, quod datum ſibi fuiſſe præſumendum ajunt Ripæ Cives, nunc in medium proferri non poſſe, uti tot alia ab eis proferuntur, nemoque ſatis intellexerit, quo ſingulari caſu, aut infortunio hoc unum privilegium modo deperditum ſit, cum cœtera ad unum omnia, & quidem vetuſtiſſima ab anno 1349. uſque in præſentem diem, totque alia antiqua documenta diligenter ſemper aſſervaverint Cives, hoc unum autem, quod tam magni momenti eſſet, infelici fato interierit. Sed demus rem ita eſſe, imo fingamus, hoc ipſum privilegium inventum recens fuiſſe, atque actu in medium afferri, eoque Civibus Ripenſibus conceptis verbis poteſtatem datam eſſe tributi, de quo agimus, ab Incolis exigendi. Primo in confeſſo eſt apud omnes, privilegium, quamquam forte eo tempore, quo conceſſum eſt, æquitatis ratione niteretur, ſi expoſt iniquum eſſe incipiat, mutato rerum ſtatu ipſo jure corruere, omnemque vim amittere, vel ſaltem tollendum, abolendumque eſſe, quum ipſa quoque lex ſi

ab

ab initio utilis, poſtea inutilis aut noxia fiat, abrogari debeat (a). Quod ſi Cives nihil mutatum fuiſſe dicant, eundemque rerum ſtatum tunc temporis fuiſſe, qui nunc eſt, tum illud adhuc quærendum eſt, an ejuſmodi poteſtas, aut privilegium recte a Principe tribui potuerit nec ne; ipſi enim civium patroni probe agnoſcunt, ea tantum eſſe præſcriptibilia, quæ expreſſim concedi valent: quare quæ expreſſim concedi nequeunt, ea neque præſcriptione adquiri poterunt ob regulam contrariorum.

§ XXIV.

Ponamus igitur, aliquem olim fuiſſe, aut nunc eſſe Principem, qui cum Ripæ incolæ omnia tributa, omniſque generis penſitationes ipſi Principi exſolvant, quas ei alii omnes homines, qui ejus ſubſunt imperio, pendunt, hoc inſuper illis onus injunxerit, ut annuatim duo cum dimidio in ſingula millia prædiorum, quæ poſſident, ſibi ſolvere debeant: id autem tributum nullis aliis neque Civitatibus, neque hominibus imperatum, ſed ſolis Ripæ incolis quamquam nihilo plus quam alii locupletibus, nulliuſque ſibi neque ſceleris, neque culpæ conſciis, ob quam forte puniri merito deberent. Ecquis dubitet dicere, Principem, qui hæc faceret, inique, & improbe facere, eumque omnia divina, & humana jura pervertere, nihilque poſſe iniquius eſſe, quam cum reipublicæ moderatores non uni tantum parti, ſed toti corpori conſulere debeant, omneſque, qui ejuſdem corporis membra ſunt, æqualiter tueri, atque diligere, eſſe aliquem, qui unam partem lacerandam ſibi ſumat annuo quodam tributo, quod ei ſoli, neminique alii imperetur. Sed ſi Princeps hoc ipſe facere nequit, idque nefas habendum eſſe omnes intelligunt, nihil eſt magis perſpicuum, quam neque aliis id faciendi poteſtatem eum poſſe tradere; nemo enim jus, quod ipſe non habeat, aliis tribuere, aut in alios transferre poteſt. Ex quo conſequens eſt, etiamſi Ripenſes Cives hanc ſibi facultatem nominatim datam fuiſſe oſtenderent, privilegiumque ipſum in medium proferrent, hoc nullius omnino eſſe roboris,

---

(a) *Klock. de contrib. Cap.* 16. *n.* 4. *& ſeqq.*

ris, ſed prorſus irritum, omnique vi deſtitutum habendum eſſe, neque inter regalia illud majora, aut minora recenſeri poſſe, uti putant ſcribentes pro Civibus; cum non regale id jus, ſed plane tyrannicum eſſet.

§. XXV.

Et profecto ſi hujuſmodi privilegium Princeps aliquis reverà conceſſiſſet, ut Ripæ Cives tributum, de quo diximus, ab Incolis annuatim exigerent, quod in Municipii Ærarium inferatur, ipſis Civibus ab eo prorſus immunibus, quod quidem tributi genus in nullo alio Tridentinæ ditionis Municipio, nullo Oppido, nullaque alia Regione exigatur, ſed ſoli Ripæ Incolæ hoc inſolito, & nuſpiam audito graventur onere, quis non exclamet, ejuſmodi privilegium naturali rationi, ac juſtitiæ adverſum eſſe, id non jus, ſed vim, & injuriam eſſe, eo demum civilis conſociationis, ac civitatum fundamenta convelli? Quod autem lex naturæ vetat, idem quoque Leges civiles diſerte prohibent, quippe quæ ejuſmodi privilegia uno ore improbant, ac damnant; illibatam namque dominorum in res ſuas poteſtatem eſſe, nec cuipiam mortalium jus ſuum a Principe detrahi oportere, aut in cujusquam injuriam beneficia debere concedi, & ſi conceſſa ſint, nullo jure valere, ipſa Principum reſcripta docent (*a*). Hoc enim privilegium ſi revera tributum eſſet, quid eſſet aliud, quam poteſtatem tributam eſſe alienas proprietates invadendi, alios re ſua ſpoliandi, ſeque ipſos locupletandi cum aliorum detrimento, & injuria? Hæc quæ natura ipſa improba ſunt, & vetita, ſicuti neque lege, neque ſtatuto, neque ullo Principis privilegio concedi poſſunt, ita nec longo uſu, aut conſuetudine adquiri, aut præſcribi poterunt, quippe directo adverſantia æternæ illi Legi, quam recta ratio inter omnes homines peræque conſtituit, Legi illi, quæ non modo ſenior eſt, ut ait Cicero, quam ætas populorum, & civitatum, ſed & æqualis illius cœlum, atque terras tuentis, ac regentis Dei.

§. XXVI.

(a) §. *ult. Inſtit. de his, qui ſui vel alieni jur. L. 4. Cod. de emancip, Liberor. L. 7. Cod. de precibus Imperatori offerendis Voet. ad Pand. Lib. 2. tit. 4. n. 6.*

§. XXVI.

Inepte igitur Ripenſes Cives dicunt, vetuſtiſſimas eſſe haſce Incolarum querelas & identidem per ſæcula renovatas, ſed ſicuti nunquam eis aures præbitæ, ita neque nunc præbendas eſſe, ineptæ inquam; nam quo vetuſtiores ſunt hæ querelæ, & quo ſæpius renovatæ, eo magis vetuſtatem, magnitudinemque injuriæ oſtendere, ajent omnes, quibus cor ſapit; injuriam autem quo vetuſtior ſit, eo fœdiorem eſſe, eoque citius tollendam, proſcribendamque eſſe: neque enim quod de piſcibus novimus, majores ſcilicet devorare minores, & quod færæ, volucreſque faciunt, ut aliæ aliarum ferarum, volucriumque eſca ſint, id quoque inter homines fieri permittendum eſt; nam ut præclare Heſiodus (a)

Hanc hominibus legem poſuit Saturnius
Piſcibus quidem & feris, & avibus volucribus
Se mutuo ut devorent, quandoquidem juſtitia carent,
Hominibus autem dedit juſtitiam, quæ multo optima eſt.

Quod ſi juſtitiam homines adverſus alios omnes colere debent; homines enim hominum cauſa generati ſunt, ut ipſi inter ſe aliis alii prodeſſe poſſint; eſt enim omnium hominum quædam inter ſe naturalis cognatio, atque conjunctio, nefaſque eſt quidquam aliis adimere, etiamſi extranei ſint, & nulla nobis civili ſocietate conjuncti, quanto iniquius erit, id pati eos, quos inter, & nos interior quædam eſt ſocietas, qui eadem nobiſcum in civitate degunt, in qua tot ſunt civibus, & incolis inter ſe communia, *forum nempe*, ut Ciceronis verbis utar (b) *fana, porticus, viæ, leges, jura, judicia, conſuetudines præterea, & familiaritates, multæque cum multis res, rationeſque contractæ*? Quanto porro indignius, id a civibus pati incolas, quorum ſudoribus agri coluntur, quorum labore, ac induſtria opificia, ac commercia exercentur, ipſorumque etiam civium augentur opes?

§. XXVII.

(a) *Oper. & dier. v.* 247. *ſeq.*
(b) *De Offic. lib.* I.

§. XXVII.

Ex his, quæ hactenus diſſeruimus, quænam in hac diſceptatione ex Juris civilis regulis ferenda deciſio ſit, facile unuſquiſque intelligit, ſatiſque id perſpicuum, apertumque eſſe reor, quamquam longiorem orationem habere oportuerit, ut cuncta, quibus injuſtitiam obtegere, ac defendere conati ſunt civium patroni, diluerentur. Sed longe planior, expeditiorque eſt via, ſi controverſiæ deciſionem ex Juris naturalis, ac gentium principiis petere lubeat: eoque erit deciſio tutior, quod jurisprudentiæ profecto noſtræ non alius fons, aliaque ſcaturigo ſit, quam jus illud primævum, quod neque hominum ingeniis excogitatum, nec ſcitum eſt aliquod populorum ſed æternum quoddam, quod a ſupremo omnium Legislatore omnium mentibus divinitus inſitum eſt. Quamobrem recte præcipiunt, qui docent, ad ſempiternam illam divinam legem tamquam ad limpidiſſimum fontem, non ad ſolos legum civilium rivulos reſpiciendum eſſe. Quemadmodum igitur Cicero non ex duodecim Tabulis, neque ex Senatusconſultis, neque ex Prætorum edictis, ſed ex intima philoſophia juris diſciplinam hauriendam putat, ita liceat & mihi hanc litem non modo ex jure civili, & jurisconſultorum placitis, verum ex naturæ quoque, ac gentium jure, atque ex intima philoſophia dirimere. Hæc autem ſunt, quæ ad rem noſtram attinent, Juris naturæ dogmata, atque ejusdem philoſophiæ præcepta, firma ea quidem, atque ſtabilia, quæ nulla hominum lege, nullo neque imperio, neque poteſtate abrogari, aut violari poſſunt.

I. Cujusvis ſocietatis civilis, aut politicæ ſcopum, finemque non alium eſſe, quam ut jura hominum ingenita ac primæva, aut inde enata ſarta tecta ſerventur. Jura autem hæc ſunt, libertas, ſecuritas, rerumque ſuarum proprietas, & jus injuſtitiam, injuriasque repellendi.

II. Omnes quidem ad ſumptus, qui ad communem ſocietatem, civitatemve tuendam neceſſarii ſint, aut utiles, contribuere, & ſymbolam quemque ſuam conferre teneri, ſed nec eos, qui ſocietati præſunt, quicquam petere, aut imperare, nec eos, qui ſubſúnt, quicquam pendere debere, niſi quod neceſſitas, aut utilitas publica poſtulet; bona enim cujuſque, ac proprietates ſanctæ, & inviolabiles eſſe debent.

III. Eos

III. Eos ſumptus, qui in civili ſocietate neceſſarii ſint, ſive magna, ſive parva ſit ſocietas, ab omnibus æqualiter ferendos eſſe, tributaque omnia, aut penſitationes, quas caſus, aut tempora exegerint, cunctis æquo, & pari jure imperari debere pro modo virium, ac patrimonii cujusque, inæqualitatem autem omnem procul abeſſe oportere, & ſceleris inſtar habendam eſſe.

IV. Hæc jura ſancta, inviolabilia, imperſcriptibilia ſunt, his nemo mortalium privari poteſt, ea nec adimi cuiquam, neque amitti ullo tempore poſſunt. Si qui ea ſibi ſumpſerint, aliiſve ademerint, adverſus eos æterna auctoritas eſto.

§. XXVIII.

Hæc ſunt naturæ dogmata, quæ non papyro, neque membranis, & ne æreis quidem tabulis exarata, ſed omnium hominum animis inſculpta ſunt. Adverſus hæc igitur nullius momenti ſunt, quæ Ripenſes allegant, privilegia, res judicatæ, conſuetudo, præſcriptio; ea enim, quæ diximus, hominum jura æterna ſunt, ab ipſo Deo immortali, divinaque ratione profecta, quæ non humana ulla lege, aut imperio, non contrario uſu, aut conſuetudine, non temporis ullius curſu amitti, adimive poſſunt; eſt quippe, ut præclare ait Cicero, vera Lex, recta ratio, naturæ congruens, diffuſa in omnes, conſtans, ſempiterna, quæ non tunc demum incipit lex eſſe, cum ſcripta eſt, ſed tunc cum orta eſt; orta autem eſt ſimul cum mente divina. Huic legi neque abrogari fas eſt, neque derogari ex hac aliquid licet, nec tota abrogari poteſt, neque vero per Senatum, aut per populum ſolvi hac lege poſſumus.

Hæc igitur quum ita ſint, quumque jam ſatis rem omnem me expendiſſe putem, nihil reliquum eſt, quam ut ex judiciali formula, ac ritu ſententiam dicam, officiumque impleam, quod ſuſcepi. Itaque decerno, ac pronuncio, tributum *Daeriam* dictum, quod Incolis Ripæ annuatim injungi conſuevit, omnino tollendum, abolendumque eſſe, eoſque in poſterum ab illius ſolutione abſolvendos, liberandoſque eſſe, prout hac mea ſententia eos abſolvo, ac libero. Eoſdem tamen Incolas ſtatuo, omnia munera tum perſonalia, quæ a Civibus eis indicentur, cum realia, & mixta æqualiter,

& æquo

& æquo jure una cum Civibus obire teneri, omnesque proinde sumptus sive ordinarios, sive extraordinarios, quos communis utilitas, aut necessitas postulaverit, pro modo virium, ac patrimonii cujusque una cum Civibus ipsis æqualiter solvere debere.

Præterea jus Civibus salvum. erit moderatam pensitationem annuatim ab Incolis exigendi pro usu pascuorum, montium, sylvarumque Universitatis, si qui sint, qui eisdem fruantur, prouti scilicet magis minusve quisque eis usus fuerit, spectata semper æquitate, aliorumque finitimorum Municipiorum exemplo, vel si qua hac in re oriatur dissensio, servata norma ab Excelso Principis Consilio statuenda, quod & in aliis Municipiis sæpe factum est; pariterque jus Civibus salvum erit intuitu modici illius tributi, de quo supra diximus, ratione incolatus juxta generalem Tridentinæ Ditionis morem ac consuetudinem, dummodo Incolæ quoad reliqua omnia eadem conditione Ripæ sint, eademque libertate fruantur, qua cæterorum Municipiorum incolæ communiter frui solent; hasce enim controversias, aut alias, quæ oriri possent, dirimere, ac definire mihi non licet; cum eas definiendi nulla mihi potestas data sit: quare, si id facerem, compromissi fines prætergrederer, quos Arbiter diligenter custodire debet.

Impensas omnes cujuscumque generis mutuo compensandas esse decerno, honorario æqualiter contributo.

FRANC. VIGILIUS BARBACOVI CONSIL. AUL.